✠

REGIA SENTENTIA, LATA IN REGIA AVDIENtia Valentina, cum votis Sacri Supremi Regij Aragonum Consilij, Egregiorum Nobilium, & Magnificorum Iudicum Associatorum.

REFERENTE IN EO

ILLVSTRI D. IOANNE LVDOVICO LOPEZ, Marchione del Risco, in eodem Sacro Supremo Aragonum Consilio Regente.

IN FAVOREM

DON FELICIS FALCO DE BELAOCHAGA, Sequæstratoris Status, seu Marchionatus de Nules, & suo in casu Nobilis Don Orgerij Catala de Valeriola.

CONTRA

IOANNEM BAPTISTAM LORENS, I.V. Doctorem, & Illustrem Ducem Gandiæ, certis iuribus in ea reservatis.

SVPER

Solutione prætij locationis dicti Status, seu Marchionatus, à Melchiore Tapies I.V. Doctore recepisse confessati, nomine Illustris Ducis, medio quodam liberationis, siuè Apo[illegible] *publico instrumento.*

REGIA SENTENTIA
LATA IN REGIA AVDIEN-
tia Valentina, cum votis Sacri Supre-
mi Regij Aragonum Consilij, Egre-
giorum Nobilium, & Magnifico-
rum Iudicum Associato-
rum.

REFERENTE IN EO
ILLVSTRI D. IOANNE LVDOVICO LOPEZ,
Marchione del Risco, in eodem Sacro Supremo
Aragonum Consilio Regente.

IN FAVOREM
DON FELICIS FALCO DE BELAOCHAGA,
Sequestratoris Status, seu Marchionatus de Nules, &
suo in casu Nobilis Don Otgerij Catala
de Valeriola.

CONTRA
IOANNEM BAPTISTAM LORENS,
I.V. Doctorem, & Illustrem Ducem Gandiæ, certis
iuribus in ea reservatis.

SVPER
*Solutione pretij locationis dicti Status, seu Marchionatus, à
Melchiore Tapies I.V. Doctore recepisse confessati, nomine Illustris
Ducis, medio quodam liberationis, siue Apoc[illegible]
publico instrumento.*

✠

I H S.

DOctor Melchior Tapies, nomine Illustris Ducis Gandiæ, locavit Doctori Ioanni Baptistæ Lorens fructus, ac proventus omnes Marchionatus de Nules, ad quadrienium, & si ita conductori placeret; ad sexenium; Dies à qua locatio incipere debebat, prima Iunij anni millessimi sexcentessimi nonagessimi primi, futura erat; Prætium mille, ac tercentæ, & quinquaginta libræ monetæ Valentiæ: Solutionis dies vigessimaquinta Decembris, eiusdem anni, & vigessimaquarta Iunij anni millessimi sexcentessimi nonagessimi secundi; & sic de inceps: non dùm dies primæ solutionis cesserat, cùm Doctor Melchior Tapies, medio instrumento publico, coram Notario, & testibus, die decimo octavo mensis Decembris anni millessimi sexcentessimi nonagessimi primi, Valentiæ confecto, omnem se vniversæ locationis substantiam à dicto Doctore Ioanne Baptista Lorens recepisse, septem mille nempè quatuorcentas viginti quinque libras monetæ Valentiæ, pro omnibus solutionibus iam dictæ locationis, palam, ac publicè confessus fuit; conductoremque ab onere, & obligatione vniversæ solutionis dictæ locationis, liberùm in anteà, ac immunem declaravit, & esse voluit. Post hac, die vigessima prima mensis Octobris anni millessimi sexcentessimi nonagessimi secundi: Status de Nules Authore Prætore, sub sequæstro ponitur; Don Felix Falco de Belaochaga, Regius sequestrator inscribitur; atque hæc tandèm causa in Regia Audientia, pro parte Doctoris Ioannis Baptistæ Lorens, contra dictum Regium Sequæstratorem, die sexto

Februarij anni millesſimi ſexcentesſimi nonagesſimi tertij introducitur: Petijt itaque dictus Lorens, vt accerſito Regio Sequæſtratore ſupradicto, eoque audito, à ſolutione prætij dictæ locationis fructuum, ac emolumentorum dicti Marchionatus de Nules, quod ſe eam anticipatè tradidiſſe Doctori Melchiori Tapies, vti Procuratori Generali Illuſtris Ducis Gandiæ, ex inſtrumento receptæ dictæ ſolutionis, ac liberationis ab illius debito (apocham noſtri dicunt) à dicto Doctore Tapies nomine Illuſtris Ducis ſubſcripto, & apud acta exhibito, de quo ſuprà iam agimus, palam, ac in promptu (vt dici ſolet) probari aſſeruit; liber, & immunis diceretur; Parteſquè dicti Doctoris Lorens, eodem Illuſtri Duce Gandiæ in Regij verò Sequæſtratoris, Don Otgerio Catala de Valeriola, iuribus quibus in proceſſu, deindè in eadem lite aſſumentibus de viribus dictæ ſolutionis, in ſupra memorato inſtrumento de recepto contentæ; agere; hoc totum opus, hic labor, ſed non improbus erit. Cæterùm ante tempus factam ſolutionem dicto Doctori Tapies; cum ex deductis in proceſſu manifeſtè conſtet in facto, neque de eo inter partes dubitetur; id in præiudicium tertij, hoc eſt Regij Sequæſtratoris, vel in eius locum ſubintrantis Don Otgerij converti poſſe, aut debere, abs re in iure ducimus æſtimandum, præmaturam quippè, & anticipatam ſolutionem, nec Maioratus poſſeſſores, nec Eccleſiæ, ſivè earum Prælati, aut Rectores, nec alius quilibet, in præiudicium ſucceſſorum poſſunt admittere: Et ſi aliter id fiat, irritum, & inanè dicitur, quocumque indulto, aut Privilegio non obſtante; aliter enim, qualis, quantaque Eccleſiarum, & maioratuum foret iactura? Quæ exities? Sit igitur quiſque ſua ſorte contentus, ſua ſe iactet in Aula; fructibus ſuis vti, frui ei liceat, nec metere vellit, quod nondum ſeminatum eſt; omnia tempus

ha-

habent; imputet igitur sibi ideò Conductor, prout quilibet alius, qui fructus futuros, ante tempus, & sine tempore emit, si non considerat, casum evenire posse, in quo fructus nascantur, translato rei dominio in novum dominium, & non nascantur in posse, & dominio vendentis, sivè fundum locantis; siquidem eo casu, quoad emptorem attinet, pro non natis habentur. His suffulta rationibus, contra anticipatas solutiones, iura omnia clamant: si solutio facta est, antequam eius dies cedat, illicò pro suspecta habetur; qui enim hodie (raricertè) adhuc in tempore convento, promissam adimplere possunt solutionem, aut adimpleret? Sed ea est humanæ artis malitia, atque imbecillitas, vt cum retardata vsque ad Kalendas Græcas debitorum solutio, plerumque lites gignat, ex anticipatione illius nonnumquam etiam (quod experimur) & lites quoque oriantur: At iuris ars sanctissima, hæc omnia non difficilè, ad æquitatem, & id quod iustum est, scitissimis suis assertionibus componit; & dum omnia in tempore suo fieri amat, anticipatas, non minùs, quam retardatas in longum tempus solutiones, respuit, atque abhorret, vt debitum antea aditam hæreditatem hæres defuncti tibi solvat, præpostera petitio à iure æstimatur: cum qui rogatus post decem annos restituere pecuniam, ante diem restituerat, si propter capientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicommissum relictum probatur, & perdituro ei id hæres ante diem restituisset, nullo modo liberum esse aptè ad rem, iuris Sacerdos respondit: eligere cum morietur iussus, ante mortem eligere non potest; imò, & eligendo ante mortem, nihil agit, similiter, nec solvendò ante diem. Quid igitur solutione eius, quod debetur, non tollitur omnis obligatio? Si solutio, cui, & quo tempore fieri debebitur, fiat, tollitur certè;

tè ; ſed ſi quod Ticio debetur, Mævio ſolvatur, vel quod forſan debebitur Petro ſequenti anno, Ioanni nunc ſolvitur; non ita: an enim hæc aptè ſolutio dici poterit? Nihil minùs. Sed non prævidit ſolvens futurum caſum; at evenire poſſe proſpicere debuit; atque ita non legitimè petenti, ſed ſibi minùs benè de rebus ſuis cogitanti, quia anticipatè ſolvendo, ſibi in hunc caſum non cavit, quod iterum ſolvat, meritò imputari debebit. His igitur, & alijs attentis, deliberationem, & concluſionem in Sacro Supremo Regio Aragonum Conſilio, cum interventu Egregiorum, Nobilium, & Magnificorum Iudicum Aſſociatorum ſumptam nobiſque tranſmiſſam, in ſequendo, pronuntiamus, ſententiamus, & declaramus, Doctorem Ioannem Baptiſtam Lorens condemnandum forè, & eſſe, vt cum præſenti condemnamus adſolvendum Don Felici Falco de Belaochaga Sequæſtratori, & ſuo caſu Don Otgerio Catala de Valeriola, prætium locationis dicti Status, ſeu Marchionatus de Nules, à die publicationis ſententiæ ſequæſtri. Reſervato iure dicto Doctore Lorens ad recuperandum ab Illuſtre Duce Gandiæ eandem quantitatem in inſtrumento ſolutionis confeſſatæ, ſivè apocha contentam: Et reſervato etiam iure dicto Don Otgerio ſuper inſufficientia contractus locationis: non obſtantibus in contrarium petitis, deductis, & allegatis; quæ locum non habent; & neutram partium in expenſis condemnamus, ſed pro biſtractis ſolitam executionem fieri iubemus.

Sanchez del Caſtellar Regens.

V.t Don Bruno Salzedo. *V.t Torres.*

V.t Garcia de Azor.

Pu-

Publicata fuit huiusmodi Regia Sententia per Eusebium de Benavides, Militem Regij Mandati Scrivam, die duodecimo mensis Septembris anno à Nativitate Domini millesimo septintengesimo secundo, instante, & humiliter supplicante Gabriele Huguet, Notario procuratore, &c. Et præsentibus Andræa Vidal, & Iosepho Torrero, Notarijs nominibus quibus, &c. Testibus Ianuario Ducruz, Iacobo Sola, Francisco Hernandez, Notarijs, & alijs quam plurimis, ibi assistentibus, in multitudine copiosa. Valentiæ, &c.